

Quaeres 12. *Quis ordo servandus est inter eos qui inaequaliter restituere tenentur in solidum?*

Resp. Sequens statuitur: nempe, 1. loco, et ante omnes, tenetur restituere qui rem alienam detinet, vel qui eam consumpsit mala fide; quod si bona fide consumpserit, ad nihil tenetur, nisi in quantum factus est ditior. . . . 2. loco, mandans, quia est causa principalis damni. . . . 3. loco, executor et participans in actione damnifica, quia est principalis causa damni post imperantem. . . . 4. loco, tenentur caeterae causae positivae in eodem ordine inter se, quia eodem modo in damnificationem influunt. . . . 5. loco, tenentur cooperantes negative.

Quaeres 13. *Cui sit restituendum?*

Resp. Ei qui habet jus possidendi, etsi non sit dominus rei, tales sunt depositarius, commodatarius, &c. hinc domino rei, non furi, est restituendum, quia fur non habet jus possidendi.

Quaeres 14. *Quomodo sit restituendum, et quando?*

Resp. Restitutio debet fieri ad aequalitatem, et statim, quantum moraliter fieri potest, quia praeceptum restitutionis est primario negativum, et sic obligat semper et pro semper.

Quaeres 15. *Quem ordinem servare debet inter creditores, qui omnibus satisfacere est impar?*

Resp. 1. Creditoribus certis prius solvendum est, quam incertis; 2. hypothecariis, quam chirographariis; 3. inter creditores hypothecarios prius solvendum est iis qui tempore sunt priores, quia sunt potiores jure; 4. singulis creditoribus chirographariis, seu personalibus, satisfaciendum est pro rata, sive sint priores, sive posteriores, quia inter eos nulla lex constituit praerogationem.

Quaeres 16. *Quo loco, seu cujus impensis restitutio fieri debeat?*

Resp. Si restitutio fieri debeat ratione rei acceptae

debet fieri in loco ubi est res quae debetur, nec tenetur debitor expensis suis, sed expensis domini, illam mittere ad dominum. Si vero fieri debeat ratione injustae acceptionis, detentionis, et damnificationis, debet fieri impensis debitoris, idque in loco ubi dominus rem illam possessurus erat, si ablata, vel destructa non fuisset.

Quaeres 17. *Quaenam causae excusant a restitutione?*

Resp. Excusat 1. *Impotentia physica et moralis*, quia tunc dominus non censetur rationabiliter iustus. 2. *Remissio libera creditoris*, quia potest dare quod suum est. Econtra non excusat *cessio bonorum*, quia per eam solum suspenditur obligatio restitutionis, nec *ingressus in religionem*, quia restitutio est juris naturalis.

## CAPUT V.

*De injuria et restitutione in particulari.*

Quaeres. *Quotuplicis generis sint bona, in quibus proximo noceri potest?*

Resp. Sunt triplicis; nempe, bona corporis, famae, et fortunae. De quibus sit

§ 1. *De injuria in bonis corporis, et eorum restitutione.*

Quaeres 1. *Quotuplici modo homo injurari potest in corpore?*

Resp. Duplici, nempe, 1. Per homicidium et mutilationem; 2. per stuprum et adulterium.

Quaeres 2. *Utrum liceat malefactores occidere?*

Resp. 1. Licet auctoritate publica; nam, *Exod. 21.* dicitur: *Maleficos non patieris vivere.* Ratio est, quia Respublica potest abscindere membra putrida ob suam incolumitatem.

Resp. 2. Nunquam licet auctoritate privata, nisi ob

propriae vitae defensionem; quia Deus hanc privatis non dedit potestatem.

Dixi, *Nisi ob propriae vitae defensionem*; quia injustum vitae invasorem licet occidere; Nam, *omnia jura et omnes leges permittunt vim vi repellere*, ait Innoc. III. cap. 18. de homicidio; modo tamen servetur moderamen inculpatae tutelae, ad quod requiritur, 1. ut invasus non mortem invasoris, sed solam sui conservationem intendat. 2. Ut alio modo conservare non possit vitam propriam. 3. Ut sit actualis aggressio. 4. Ut invasus in defensione non excedat: unde qui vitam tueri potest percutiendo, non potest mutilare, qui mutilando, non potest occidere, alias teneretur restituere pro ratione excessus.

Ergo non licet occidere 1. invasorem honoris et famae, quae sunt bona longe inferioris ordinis, quam vita et membrorum integritas. 2. Nec invasorem pudicitiae, quia, cum sit virtus in animo residens, a violento stupratore eripi nec ipsa potest, ait D. August. lib. 1. de lib. arb. cap. 5. . . . 3. Nec invasorem bonorum fortunae, quia longe inferioris sunt ordinis quam vita. Hinc, *Exod. 22.* expresse prohibetur ne fur diurnus occidatur; quia, ut notat D. Aug. cap. 3. de homic. poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum, venisset.

Quaeres 3. *Quid restituere debeat injustus homicida aut mutilator?*

*Resp.* Debet restituere 1. expensas factas in curatione vulneris, vel morbi inde secuti. 2. Compensare omne damnum emergens et lucrum cessans, ex industria, officio, arte &c. 3. Restituere uxori et filiis, quos occisus alebat ex operis et quaestu. 4. Solvere debita occisi vel mutilati, si occisio vel mutilatio causa sit cur creditoribus non sint soluta. Ratio est, quia horum est causa injusta.

Quaeres 4. *Quid restituere debeat stuprator virginis?*

*Resp.* 1. Quid virginem sponte consentientem, absque vi, fraude, importunitate precum defloravit, nihil tenetur restituere in conscientia, quia illi non est facta injuria. . . . 2. Qui vi, fraude, importunitate precum eam defloravit, tenetur compensare omnia damna virginis et ejus parentibus inde obvenientia; quia illorum est causa per injuriam; 3. Qui defloravit sub promissione matrimonii, tenetur eam ducere; *excipe*, 1. Si corrupta, se fingendo virginem, nobilem, divitem, decipisset corruptorem. 2. Si postea fornicetur cum alio. 3. Si fictam esse promissionem potuerit, ex magna conditionis disparitate, deprehendere, quia tunc non est rationabiliter invita, modo damnum aliunde reparatur. 5. Si corruptori superveniat impedimentum dirimens, in quo Papa non solet dispensare: v. gr. si suscepit sacros Ordines.

Quaeres 5. *Ad quid teneatur adulter?*

*Resp.* Si non sit secuta proles, ad nihil tenetur, quia nullum damnum est secutum. . . . Si certo sit secuta proles, tenetur 1. alimenta subministrare proli ab anno tertio ad tempus quo sibi de alimentis providere poterit: imo ab ipso partu in defectum matris, quae primo Triennio tenetur alere filium Nothum. 2. Compensare omnia damna quae marito adulterae, uti et legitimis haeredibus, ex suppositione spurii consequuntur; quia eorum fuit causa. . . . Si dubium sit an proles sit sua, tenetur restituere pro rata dubii, quia in dubio praesumptio est contra nocentem

Quaeres 6. *Ad quid teneatur adultera, prole secuta?*

*Resp.* 1. Si fuit simpliciter invita, ad nihil tenetur, 2. Si fuit secundum quid invita, tenetur restituere in defectum adulteri. 3. Si libere consensit, aequaliter cum adultero tenetur restituere, sive ex bonis parafamiliaribus; sive rem familiarem diligentius administrando, et alio quovis modo possibili et licito.

§ II. De injuriis in fama et honore, et earum restitutione.

Quaeres 1. Quid sit fama?

Resp. Est, interna existimatio de alicujus excellentia. Laeditur per detractionem, calumniam, iudicium temerarium, et sussurationem.

Quaeres 2. Quid sit honor?

Resp. Est, externa significatio excellentiae alterius. Laeditur per contumeliam et irrisionem.

Quaeres 3. Quid sint detractio et calumnia?

Resp. Detractio est, injusta et occulta famae alienae denigratio. Calumnia vero est, falsi criminis vel defectus impositio.

Quaeres 4. Quot modis fieri possit detractio?

Resp. Octo modis, quos expriment versus sequentes:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisit.*

Quaeres 5. Quale sint peccatum detractio et calumnia?

Resp. Sunt peccatum mortale ex genere suo. Gravitatis utriusque desumi debet ex circumstantia defectus, aut vitii quod narratur, relative ad personam laesam.

Quaeres 6. Quanam sint justae causae quae detrahentem a peccato excusant?

Resp. Sunt duae, scilicet, *justitia*, dum quis ex officio suo tenetur manifestare delictam. Et *charitas*, dum quis aliter non potest impedire damnum sibi vel proximo impendens, quia tunc detractio non est inordinata et injusta.

Quaeres 7. Quis teneatur ad restitutionem famae?

Resp. Omnis et solus qui eam abstulit, et ejus coo-

peratores, ut sunt, mandans, consulens, non obstands, cum tenetur ex officio ob stare, &c. Quia illi soli, per injuriam, famam violarunt.

Quaeres 8. Quid restituere teneatur detractor?

Resp. Tenetur, quamprimum fieri potest, 1. Restituere famam ablatam, etiam per retractionem, et cum periculo famae et fortunae. 2. Resarcire damna ex detractione orta, cum illorum sit causa injusta.

Quaeres 9. Quandoam detractor non tenetur ad restitutionem famae?

Resp. Non tenetur 1. Quando infamatus condonavit, modo infamia non redundet in alios. 2. Quando duae personae privatae sese mutuo infamarunt, quia tunc est justa compensatio. 3. Quando fama est aliunde reparata, v. gr. per sententiam judicis. 4. Quando infamia penitus abiit in oblivionem. 5. Quando crimen factum est publicum. 6. Quando restitutio est impossibilis, in quo tamen casu detractor tenetur pecunia, vel alio modo damnum compensare. 7. Quando nulla ex detractione secuta est infamia.

Quaeres 10. Quid sit iudicium temerarium, et quale peccatum?

Resp. Est, assensus absolutus et firmus de proximi improbitate ex levibus et insufficientibus indicis ortus. Est peccatum mortale ex genere suo. Quia ex levi, aut nulla causa auferit proximo bonam, quam apud iudicantem possidebat, existimationem, quod est magna injuria; quare Christus, Luc. 6. dicit: *Nolite iudicare, et non iudicabimini.*

Quaeres 11. Quid requiratur ut tollatur injuria illata per iudicium temerarium?

Resp. Sufficit ut qui iudicium temerarie tulit, illud apud semetipsum deponat.

Quaeres 12. Quid sit contumelia, et quale peccatum?

Resp. Est, injusta et aperta honoris alieni violatio. Aperta, id est scienti et praesenti facta. Est pecca-

tum mortale ex genere suo, et quidem gravius detractione, cum fiat coram et in faciem. Obligat ad restitutionem, et quidem ad veniae petitionem, si opus fuerit, spectata conditione personae.

Quaeres 13. *Quid sit derisio, et quale peccatum?*

*Resp.* Est, *jocus de proximi defectibus ut rubore afficiatur.* Est peccatum veniale ex genere suo, quia de se gravem proximo non infert injuriam. . . . *Dixi: Ex genere suo:* quandoque enim transfertur in aliam speciem peccati mortalis, v. g. si irrideantur Deus, sancti, caeremoniae sacrae, parentes, item et proximus de virtutis cultu.

§ III. *De injuriis in bonis fortunae, et earum restitutione.*

Quaeres 1. *Quomodo quis possit in bonis fortunae laedi?*

*Resp.* Per furtum, et rapinam.

Quaeres 2. *Quid sit furtum?*

*Resp.* Est, *occulta rei alienae ablatio, invito rationaliter Domino.* Si res ablata sit sacra, vel in loco saero, furtum dicitur *sacrilegium.* Si pertineat ad fiscum dicitur, *peculatus.* Si sit homo, *plagiatus.* Si sint pecora, dicitur *abigeatus.*

Quaeres 3. *Quid sit rapina?*

*Resp.* Est, *manifesta rei alienae ablatio, invito rationaliter Domino.* Unde rei sunt rapinae, qui decimas, mercedem operariorum, vectigalia et justa tributa, defraudant. Qui ad usuram dant. Qui cogunt ad contractus inaequales ineundos. Qui, stipendio sibi publice assignato non contenti, plus aliquid exigunt. Qui foro cedunt, &c.

Quaeres 4. *Quodnam sit peccatum furtum et rapina?*

*Resp.* Est mortale ex genere suo, nam ex Apost. 1. Cor. 6. *Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Quaeres 5. *Quaenam quantitas requiratur ad furtum mortale?*

*Resp.* Requiritur ea, quae, spectatis omnibus, grave damnum infert, privatque notabili utilitate, unde non eadem quantitas in omnibus furtis statui potest pro materia mortifera.

Quaeres 6. *Utrum mortaliter peccet, qui, cum intentione furandi notabilem quantitatem, modicum quid ab uno vel pluribus furatur?*

*Resp.* Peccat mortaliter toties quoties minutum quid surripit: quia illa minuta furta fiunt ex affectu peccati mortalis; ergo.

Quaeres 7. *Utrum is, qui, sine intentione furandi magnam quantitatem, plura minuta furatur ab uno, vel pluribus, peccet mortaliter?*

*Resp.* Peccat mortaliter, non quocumque actu, sed eo demum, in quo advertit, saltem confuse, se ad quantitatem notabilem pervenisse. Quia tunc vult et ponit complementum damni notabilis proximi. Unde tenetur ad restitutionem sub mortali, ut definivit Innoc. XI. prop. 38.

Quaeres 8. *An liceat uti occulta compensatione ad rem suam, aut sibi debitam, recuperandam?*

*Resp.* Licitum est, quia jure naturali quilibet potest se indemnem servare: modo tamen concurrant sex conditiones. 1. Quod rem suam non possit auctoritate publica obtinere. 2. Quod debitum ex justitia sit certum. 3. Quod caveatur ne debitor aut ejus haeredes iterum solvant. 4. Quod absit omne periculum scandali, vel damni alicujus tertii, qui de furto posset accusari. 5. Quod compensatio fiat ex bonis debitoris. 6. Ut famuli, et officiales justitiae non utantur tali compensatione, eo praetextu, quod pretium minus justo accipiant, quia tenentur stare conventioni, Matth. 24. *Non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum?* contrariam prop. damnavit Innoc. XI. prop. 37.

Quaeres 9. *Utrum liceat in necessitate constituto aliena surripere?*

*Resp.* Licet in extrema necessitate, quia tunc omnia sunt communia; non licet in gravi, ut definiit Innoc. XI. prop. 36. quia in ea, bona non sunt communia. Porro, si, post transactam extremam necessitatem, res ablata extet in specie, debet restitui, quia cessat jus ex necessitate ortum. Si non extet, nihil tenetur restituere, quia durante necessitate, in eam verum habuit dominium.

## TRACTATUS XVI.

### DE PECCATIS.

#### ARTICULUS I.

##### De Peccatis in communi.

Quaeres 1. *Quid sit peccatum?*

*Resp.* Definitur a D. Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem aeternam.* Haec definitio convenit omni peccato, tum *omissionis*, quia in moralibus affirmatio et negatio ad idem genus reduuntur; tum *original*, quia est factum non quidem voluntate propria, sed voluntate aliena, nempe, Adami, quae non erat solum voluntas privatae personae, sed etiam communis omnium hominum, quorum Adam erat caput. Tum *peccato veniali*, quia licet non sit contra finem legis, qui est charitas, est tamen contra legem secundum se spectatam.

Quaeres 2. *Unde peccatorum distinctio specifica desumenda sit?*

*Resp.* Desumitur 1. ex diverso motivo quo eadem res praecipitur, quia tunc duplex est objectum formale diversum; sic qui non observat jejunium praeceptum ab Ecclesia ex motivo religionis, et injunctum a Confessario ex motivo poenitentiae, duplex specie peccatum committit. . . . Desumitur 2. ex objecto formali, fine, et circumstantiis habentibus malitiam specie diversam, quia ab eis actus moralis desumit malitiam moralem.

Quaeres 3. *Quandonam actus moralis ex objecto, fine, et circumstantiis contrahit malitiam specie diversam?*

*Resp.* Contrahit 1. Quando diversis virtutibus est oppositus: sic percussio Clerici opponitur justitiae et religioni. 2. Quando opponitur diversis ejusdem virtutis officiis, ut odium Dei, et ommissio actus charitatis. 3. Quando opponitur eidem virtuti modo contrario, ut avaritia et prodigalitas. Vel modo diverso, licet non contrario: sic furtum, detractio, homicidium, &c. opponuntur virtuti justitiae.

Quaeres 4. *Unde desumatur distinctio peccatorum numerica?*

*Resp.* Desumitur 1. *Ex objecto materiali*, unde quando unus physice actus versatur circa plura objecta materialia, quae se habent per modum plurium, plura complectitur peccata; quia plures habet malitias. Sic qui duos homines odit, duos occidit, de duobus detrahit, duo peccata numero committit. 2. *Ex complemento plurium actuum circa idem objectum*; sic qui omnino successive bis se polluit, bis fornicatur, duo committit peccata numero distincta; econtra qui ex intentione fornicandi, puellam impudice respicit, osculatur, tangit, et tandem fornicatur, unum numero peccatum committit, tanto gravius tamen, quanto plura concurrunt, ait Div. Antonin. quia omnes illi actus ordinantur ad actum principalem, cujus sunt inchoationes. 3. *Ex morali interruptione quae in pluribus ejusdem speciei actibus reperitur*, quia per moralem interruptionem actus